



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt LXX. S. Badilonis Collegivm Lvthosanum Vulgò Leuze, in Hannonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

quentia legantur: *Apud castrum Lenense habetur quoque monasterium Canonicorum, vbi Sanctus qui-escit VVlganius, qui Scotus traditur extitisse.* Di-stat autem Lensium quatuor horarum itinere ab Atrebato, versus Insulas Flandriæ Vrbem. Sic ferè Molanus in natalibus Sanctorum Belgij.

## C A P V T . L X X .

S. BADILONIS COLLEGIVM LV-thosanum Vulgo Leuze, in Hannonia.

**N**otanda sunt hic verba Chronographi Cameracensis, ad Gerardum primum Camerensem Episcopum, circa annū Christi 1040. conscriptum. *Est, inquit, Monasterium Canonicorum in honorem Apostolorū Petri & Pauli, in vico qui dicitur Luthosa, quod construxit Beatus Amandus: & est diues Abbatia; vbi vir Dei ve-nerabilis Badilo requiescit.* Ex quibus verbis con-stat ibi diu monasticā aut canonicam viguisse disciplinam, & B. Amandum prima iecisse Ecclesię fundamenta. Secundus autem loci fundator fuit Gerardus de Roussillon, Burgundiæ Comes, qui temporibus Caroli Martelli claruit, Is prole destitutus varia fundauit & dotauit Monasteria, inter quæ eminent Vize-liacum & Luthosa. Ceterūm cùm Saraceni Metropolim Aquensem contaminassent, di-ctus Gerardus & Heudo Abbas monachum suum Badilonem vitae Sanctimonia conspi-

H 5 cuum

cuum Aquas miserunt, vt quæreret Sanctæ Magdalenæ reliquias, easque Vizeliacum adferret. Itaque Sacras ille reliquias inter rudera inuenit in Mausoleo, cuius sculptura vitam Sanctæ Magdalenæ artificiosè continebat; quinquennio tamen ibi mansit in reparandis sacrī locis assiduè laborans. Quo tempore euoluto, post orationum & ieuniorum præsidium, Mausoleum piè violauit, & corpus Sanctæ Magdalene mirè fragrans Vizeliacum transtulit, eiusque brachij partem Luthosanis attulit. Natalem celebrat Luthosani die octauo Octobris, & corpus à duobus Canonicis in processione defertur. Vizeliaci autem creditur esse Brachium Sancti Badilonis, quo multi à dæmone correpti confluunt & inde liberati redeunt. Ita Molanus libro citato.

## CAPV T LXXI.

8. ALBANI COLLEGIVM CATHEDRALE  
*Namurcense, in Belgio.*

**A**LBERTVS II. Comes Namurcensis, collegiū istud Canonicorum, reiectis monachis instituit, vt tradit Ioannes Placentius in Catalogo Episcoporum Leodiēsium, agens de VVafone XXIII. Antistite.

Est autem illud fundatum anno millesimo quadragesimo septimo à dicto Comite Alberto, vt in vetustis membranis me legere memini.

Collegi-